



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm LII. Dilecti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](#)

# De Appellationibus, recusatione, & relationibus. 551

versus quemlibet seu malae seu bonae fidei possesseorem, iste est casus nostri Capituli.

Sed et si appellatio facta sit specialiter, contra certam personam, & tertius ab ipso causam habuerit. v.g. emerit bona quanis fidei, agi tamen potest contra eum per viam attentati, ut iudicis officio rescindatur, quod actum est. *I. Chyographis.* 47. §. *Sic etiam ff. de administr. vbi Gl. & Bart.* imo vero etiam procedit talis revocatio attentati, tametsi tertius possessor bona aut malae fidei causam non habuerit a iudice vel a parte, sed ab alio quolibet, ut colligitur ex c. *Ex parte.* vbi *Imol. monet. h. tit.*

Ex quo colligitur remedium istud per viam attentati longe uberioris esse, quam interdictum recuperandae possessionis, si quis post interpositam appellationem spoliatus sit; etenim remedium illud attentati competit etiam pro rebus mobilibus, & contra successorem spoliatoris, nec opus est probare spoliationem, sed id solum, quod auctor tempore appellationis possederit, quae omnia aliter se habent in interdicto recuperandae seu unde vi, sicuti videre licet in *D. restit. spoliator.*

## CAPITVLVM LII. Dilecti.

### PARAPHRASIS.

Liberat super quadam Capella inter Cantuariensem Archi-Episcopum & Priorem ac Monachos Cantuarienses, tunc Monachii duos ex Fratribus Romanis ad Pontificem miserunt, quos nihilominus Archi-Episcopus post arreptum iter excommunicauit. Eo intellecto, Resp. Innoc. Cum plus aliquid sit ad Sedem Apostolicam appellare factio quam verbo, Monachii autem hoc ipso quod ob dictam causam ad Sedem Apostolicam accesserunt prouocare censeantur, ideo mandat quibusdam, ut Monachos excommunicatione non adstrictos esse denuntiant.

### SUMMARIUM.

1. Excommunicatio & quamvis censura lata

post appellationem etiam extra iudiciale ipso jure irrita est.

2. Ordinariè, seu in aliis casibus attentata post eam non sunt ipso jure nulla sed rescindenda;
3. Sola itineris arreptio ad Superiorum vim appellationis extra iudiciale habet, cuius semper locus esse potest, cum Superior per viam querela adiri potest, etiam circa omnem appellationem.
4. In appellatione judiciali licet sufficiat quousque verbo vel facto voluntatem appellandi exprimi, necesse tamen est, ut etiam tunc Apostoli petantur, aliquaque requisita ad appellationem judiciale ponantur.

Not. I. Excommunicatio & quamvis censura lata post appellationem etiam extra iudiciale ipso jure irrita est. c. *Venerabilibus.* 7. de sent. excomm. in b. est autem hoc speciale in censuris, prout hic notauit *Franc.* vbi consilium dat, si quis timeat, ne Superior quidpiam imperans, censuram ei inferat, ut ad eam declinandum non appelllet ad superiorē. Ordinariè vero seu in aliis casibus attentata post appellationem extra iudiciale non sunt ipso jure nulla, sed pendent ex futuro euentu, ita ut justificata appellatione rescindi debeant. c. *Considerationis.* 10. c. *Cum nobis.* 19. vbi *Innoc.* n. 2. de elebt. *Alex.* h. c. num. 13. contra *Abb.* notand. 1.

Non parvum autem refert, num attentata post appellationem sint ipso jure irrita, an non irrita, quamvis postea rescindenda; si enim irrita sint, tunc etiam deserta appellatione agi potest per viam nullitatis, videlicet in attentatis post appellationem judiciale, & in ceteris casibus in attentatis post extra iudiciale, sicuti *Alex.* h. c. explicat, n. 13. at vero si non sint ipso jure irrita, tunc deserta appellatione revocari non possunt per viam nullitatis, sed tantum per viam juris ac justitiae. c. *Concertationi.* 8. h. t. in b.

Notandum II. Sola itineris arreptio ad Superiorum vim appellationis habet, debet

debet autem hoc specialiter & peculiariiter intelligi de appellatione extra judiciali, quae est prouocatio à causa, ut proinde talis appellatio tunc semper locum habere possit, cum superior per viam querelæ adiri potest, etiam circa omnem appellationem, sicuti Abb. hic docet n. 6. & exemplum habes in executore, item Episcopi Vicario seu Officiali, à quibus appellari non potest, & tamen locus est querelæ, seu supplicationi.

At verò in appellatione judiciali tametsi opus non sit vocem appellandi proferre, sed quis verbo aut facto voluntas appellandi exprimi possit, tamen necesse est Apostolos petere, & alia agere, quæ ad judicialem appellationem requiruntur, cum enim appellatio, quæ sit, facto aequiparetur, ac veluti succedat in locum appellationis, quæ sit per vocem *appello*, ideo eadem in illa seruari debent.

### CAPITVLVM LIII.

#### Pastoralis.

##### PARAPHRASIS.

Interrogatus fuit Innoc. III. si Princeps causam deleget remota appellatione, an solum frustanea appellatio inhibita censi debeat. Ad hoc Resp. Cum per appellationem frustaneam, etsi inhibita non sit, causa impediri non debeat, ideo quamlibet appellationem, quæ à jure expressè concessa non reperitur, remotam esse, nihilominus si is, qui appellare cupit, iniuste grauatus sit, grauamen istud per superiore tolli potest.

##### S V M M A R I V M .

1. *Dispositio quamvis odiosa aut exorbitans nunquam tam strictam interpretationem meretur, ut nihil operetur, aut verba eius frustanea & inutilia sint.*
2. *Licet clausula: remota appellatione: impedit effectum suspensum, non tamen impedit deuolutum.*
3. *Non obstante etiam eadem clausula recipienda est appellatio, quoiescunque in ju-*

*re aliquod factum pro grauamine agnosciatur.*

4. *In casu quo per privilegium, vel statutum appellatio adempta est, & notorium grauamen infertur, non quidem per viam appellationis, sed supplicationis, aut in integrum restitutionis, per superiore succurriri debet.*

**N**otandum I. Dispositio quamvis odiosa aut exorbitans, ideoque absolute loquendo strictam interpretationem mereatur, tamen non ita restringi, aut talem interpretationem sortiri debet, ut nihil operetur, aut verba frustra & inutiliter prolatæ sint. Ita sumitur ex cap. *Si sententia*. 16. *in fine. de sent. excom. in b. l. Si stipulatu. 10. ff. de verb. oblig. & tradit Abb. hic n. 2. Alex. n. 8.* quod verba dispositionis, si alioquin frustra posita essent, etiam ad impropriam significationem extendi debent. *arg. cit. 6. Si sententia. & Bald. in Rubr. C. de contrahend. empt. n. 9.* ait: quod non tantum clausula, sed etiam verba singula posita in contractu ita intelligi debent, ut frustra non sint, sed aliquid operentur, dummodò id fiat secundum naturam contractus, idque propter Regulam receptam: quod verba intelligi debent, secundum naturam actus & materiam subiectam.

**N**ot. II. Licet clausula *remota appellatione* impedit effectum appellationis suspensum, non tamen impedit deuolutum. Et habet id etiam locum, si jus ipsum præcipiat causam cognosci, remota appellatione, ut in c. *Inquisitionis*. 16. *de heret. in b. quod Episcopi & inquisitores in causa haeresis procedere debeant appellatione remota; nihilominus enim Archi Episcopus comparatione Episcopi, & multo magis Papa à reo interpellatus cognoscere potest de justitia processus & sententia, atque inhibere, ne ulterius procedatur ad executionem, c. Romana. 3. §. Si autem h. t. in b. Et docet Gl. in Clem. 1. verb. *Oneramus. de jure patron.* ubi ait: quod superior emendare debet, quæ malè acta sunt, attentata tamen à Judice inferiore non per viam nullitatis, sed per viam ordinariæ querelæ seu justitiae implor-*